

# HISTORIARUM INDICARUM LIBER NONUS.

**H**ENRICO Menesio vita functo, a primoribus Lusitanis ventum in curiam est: ibi apertus alter codicillus, inscriptum ostendit nomen Petri Mascareniaë, qui Malacæ urbi tum præerat, vir bello fortis, & natura munificus, atque ob idipsum apud omnes ordines gratiosus. Verum illud erat in ea successione incommodi; quod, nisi vertente anno, Mascarenias a Malaca, propter tempestatum rationem, adesse non poterat: cum interea simul a Calecutano & Cambaiano Regibus, &, quod magis erat formidandum, ab ipso Turca bellum immineret: minimeque expediret, ejusmodi rerum statu, parente ac præside tandiu carere provinciam. Ob eam maxime causam Alphonsus Mexias regius Quæstor, cujus tum erat summa in Senatu auctoritas, censebat, nulla mora interposita, tertium deinceps codicillum aperiendum: neque expectandum e tam longinqua regione Mascareniam: quem, quo melior esset civis, & Regis rei que publicæ amantior; eo æquiore animo ferre oporteret, in tanto talique discrimine, salutis communi potius, quam proprio ipsius honori consultum. Adversus hæc amici Mascareniaë tendere, tam insignem injuriam deprecari, ac postremo denuntiare, haud leviori quam quod in præsentia proponatur malo, geminam successionem intestinis odiis ac certaminibus materiam utique præbituram. nec vero dubitandum, quin ipsa dulcedo imperii, & ratio dignitatis, e duobus Prætoribus alterum ad retinendam; alterum ad repetendam omni conatu provinciam, postmodum esset incitatura. Cum hisce aliisque difficultatibus non inveniretur exitus; multis altercationibus diu agitata, eo denique deducta res est: ut tertium codicillum inspicerent, provinciamque novo successori mandarent ea lege, ut ipsam, quisquis ille esset, advenienti Mascareniaë confestim redditurum se jurejurando promitteret. In hanc sententiam convenere omnes: & resignato palam Codicillo, Lupi Vasæi a Sancto Pelagio (contracta ut assolet voce Sampaium appellabant) nomen apparuit; qui per id tempus Cocini præfecturam gerebat. Is, cum solenni adjuratione pollicitus, sese Mascareniaë, ut primum adesset, honore cessurum; Præturam interim iniit: cognitoque provinciæ statu, alios duces, ad obtinenda præsidia maria, destinavit. ipse cum navibus aliquot, in quibus erant Lusitani circiter mille, Malabaricam oram sibi tuendam desumpsit. Profectus Cocino, circa initium Februarii mensis anni millesimi quingentesimi vigesimi sexti, Cananorem petiit. ibi, dum commeatus in classem imponit, subito certior fit, Mahometanos e Calecutano emporio ad duodecim hominum millia intra Bacanoris fluminis ostium cum

navi-